

14. Puer armātus (I–XII)

Avunculus Mārci, cui nōmen est Aemilius, in Germāniā militat. Illic exercitus Rōmānus finēs imperiī Rōmāni ā Germānīs dēfendit. Castra exercitūs mille passūs ā flūmine Rhēnō sunt in magnā silvā, ubi hostēs sē occultant. Militēs Rōmāni impetum Germānōrum expectant, neque hostēs barbarōs timent. Rōmāni enim bona arma habent atque circum castra fossa et vāllum altum est. Germāni castra Rōmāna expugnāre nōn possunt.

Mārcus Aemiliūm militem fortem esse putat. Puer ipse militāre vult ut avunculus suus, neque arma habet Mārcus, et Iūlius dīcit ‘nūllōs puerōs militāre aut arma ferre posse.’

Quid igitur facit Mārcus? Arcum facit ex rāmō et līnēā; etiam sagittās facit ex rāmīs tenuibus.

Dum Mārcus arcum facit, Iūlia in hortō lūdit cum cane suā Margarītā. Sub arbore puella rāmum reperit. Iūlia canī rāmum ostendit: “Ecce rāmus, Margarīta! Quaere eum!” rāmumque procul ā cane iacit. Canis rāmum quaerit, reperit, ad Iūliam portat. Canis rāmum ante pedēs Iūliae pōnit et caudam movet.

Mārcus frātre suum vocat atque eī arcum suum novum ostendit: “Ecce arcus meus, Quīnte. Iam miles fortis est frāter tuus!”

Quīntus: “Miles Rōmānus gladiō et pilō armātus est, nōn arcū et sagittīs. Ea arma sunt Hispānōrum et Gallōrum quī in exercitū Rōmānō militant.”

Mārcus: “Sed exercitū necesse est arcūs et sagittās habēre, neque enim pīla gravia procul iaci possunt. Sagittae procul volant quia levēs sunt.”

Mārcus sagittam sūmit et in arcū pōnit. Ecce sagitta ex arcū iacitur et in hortō prope Iūliam ad terram cadit. Iūlia perterrita sagittam prope caput suum volāre sentit – sagitta aurem eius tangit!

Syra, quae cum Iūliā in hortō est, sagittam prope Iūliam volāre videt atque irāta ad Mārcum currit. Mārcus, quī Syram accurrere videt, arcum ad terram iacit atque fugit. Syra arcum Mārci manū capit eumque procul ex hortō iacit. Mārcus trīstis arcum suum volāre aspicit.

Canis quoque arcum volāre videt. Canis etiam illum rāmum quaerit ac reperit, neque eum ad Mārcum portat.

Quīntus rīdet, quod ‘militem fortem’ sine armīs fugere videt!

16. Asinus currēns (cap. I–XIV)

In campō prope hortum Iūlii puerī pilā lūdere solent. Mārcus pilam sūmit et “Venī mēcum in campum, Quīnte!” inquit. Mārcus in campō cum frātre suō pilā lūdere vult.

Mārcus et Quīntus campum petunt cum cane, cui nōmen est Cerberus. Puerī pilā lūdere incipiunt. Alter ad alterum pilam iacit, primum Mārcus ad Quīntum, quī pilam capit et ad Mārcum iacit. Mārcus pilam capit et rūsus ad Quīntum iacit neque Quīntus pilam capere potest – sed canis pilam capit! Iam canis ante Quīntum stat pilam ōre tenēns.

Quīntus pilam ā cane poscit: “Dā mihi pilam, Cerbere!” Canis autem pilam dentibus tenet neque eam relinquit.

Prope puerōs ludentēs parvus asinus in herbā iacet. “Ille asinus mē portāre potest” inquit Mārcus, atque ad asinum adit.

“Surge, asine!” inquit, et asinum pede pulsat. Asinus surgit, et Mārcus eum ascendit. Iam puer super asinum sedēns “Ecce equus meus, Quīnte!” inquit, “Eques fortis est frāter tuus!”

Quīntus: “Quī asinō vehitur eques nōn est! Neque asinus tē vehere vult.”

Mārcus asinum manū verberat et clāmat: “Curre, asine!” sed asinus, quī puerum gravem vehere nōn vult, quiētus stat neque sē movet.

Asinus rudit: “Hīāhīā!”

Canis asinum rudere audit et lātrat: “Baubau!” Pila ex ōre canis cadit. Quīntus pilam capit eamque in asinum iacit! Asinus perterritus currit – et Mārcus ad terram cadit! Asinus eum cadentem pede pulsat.

In herbā iacēns Mārcus asinum currentem aspicit. “Cōnsiste, asine!” clāmat puer, sed asinus ab eō fugit. Canis post asinum currit.

Quīntus rīdet quod ‘equitem fortem’ in herbā iacentem videt.

Mārcus irātus “Stultus est asinus!” inquit.

Quīntus: “Quī asinō vehitur tam stultus est quam asinus suus! Surge, ‘asine!’”